

niæ de novo instituit, in memoriam suæ captivitatis, et statuit ut illud tertia dominica septembris per universam Ecclesiam celebraretur. Officium est prorsus distinctum ab Officio Compassionis.

14^o *Festum Rosarii sanctissimæ Virginis*, dominica prima octobris. Die 7 octobris 1571, quæ fuit prima dominica octobris, commissum est prælium navale ad Nactum, Pio V regnante, cui victoria Christianorum adversus Turcas divinitus eodem momento quo obtinebatur revelata est. S. Pontifex jussit quotannis S. Mariæ de Victoria commemorationem fieri, ut in Martyrologio habetur ad hunc diem. Gregorius XIII, advertens quod memorabilis victoria reportata esset dum piæ sodalitates sanctissimi Rosarii, de more suo et instituto processione incedentes, Deum devote precarentur, ita ut pie æstimari potuerit ejusmodi preces, intercedente B. Virgine Maria, ad eam victoriam plurimum contulisse, statuit, die 1 aprilis 1573, solemnem deinceps prima dominica octobris festivitatem peragenda fore, sub nomine Rosarii, in iis tantum ecclesiis in quibus capella vel altare erectum esset sub invocatione B. Virginis Rosarii. Die 26 octobris 1671 Clemens X, precibus Mariannæ Hispaniarum reginæ inclinatus, hoc festum celebrari permisit in cunctis regionibus catholicis regi Hispaniarum subjectis, etiam ubi nullum esset sacellum vel altare sub invocatione B. Mariæ Virginis Rosarii erectum.

Sub Innocentio XII delatæ sunt preces, nomine Leopoldi imperatoris, S. Rit. Cong. ut ad universalem Ecclesiam officium et Missa Rosarii propagarentur; sed Pontifex, morte præventus, rescriptum quo precibus Leopoldi satisfiebat, approbare non potuit. Clemens XI, ejus successor, decretum illud approbavit, die 3 octobris 1716, ac mandavit ut in universali Ecclesia prædictum Rosarii officium recitaretur et Missa celebraretur.

15^o *Festum de Patrocinio B. Mariæ*, dominica tertia novembris. Certum est B. Virginem pro nobis apud Deum intercedere, et patrocinium ejus feliciter invocari. Illam ergo merito ac convenienter invocare possumus ut po-

tentem patronam nostram; ac proinde non mirum si festum in honorem ejus sub titulo ipsius patrocinii fuerit institutum. Colligitur ex decreto S. Cong. Rit. diei 6 maii 1679, illud festum omnibus provinciis regi Hispaniarum subjectis fuisse concessum, deinde aliis regionibus, et a Bened. XIII omnibus ditionis ecclesiasticæ provinciis.

16^o *Presentatio B. Mariæ in templo*, die 21 novembris. Pia et antiqua est traditio B. Mariam adhuc teneram, tribus annis natam, ut communius habetur, a parentibus in templo præsentatam fuisse et educatam, donec matrimonio Joseph fuerit conjuncta. Bened. XIV affirmat de ipsa præsentatione nullam esse rationem dubitandi, quamvis de illius tempore et modo multa narrentur incerta: festivitas in honorem ejus præsentationis vetus erat in Ecclesia Orientali, siquidem imperator Comnenus, qui regnare cepit anno 1143, eam inter alias festivitates commemorat. Gregorius XI, Avenione degens, precibus Philippi Mazerii, regis Cypri cancellarii, annuens, officium ab illo sibi oblatum accepit, diligenter examinandum curavit, ac decrevit, anno 1374, ut hæc dicta festivitas in tota Ecclesia Occidentali die 21 novembris celebraretur.

17^o *Conceptio beatæ Mariæ Virginis*, die 8 decembris. De mysterio immaculatæ conceptionis beatæ Mariæ et festo in illius honorem instituto sufficienter diximus in Tractatu de Peccatis.

18^o *Translatio sanctæ domus Lauretanæ*, die 10 decembris. Bened. XIV, in magno opere de Canoniz. Sanctorum, l. 4, 12^a part., cap. 10, et in Tractatu de Festis, lib. 2, cap. 16, erudite probat, ex traditione, ex Constitutionibus plurimorum summorum Pontificum, nempe Pauli II, Julii II, Leonis X, Pauli III, Pauli IV et Sixti V; ex Martyrologio Romano in quo ad diem 10 decembris sequentia inserta sunt verba, ex decreto S. Cong. Rit. diei 31 augusti 1669: « Laureti, in Piceno, translatio sacræ domus Dei genitricis Mariæ, in qua verbum caro factum est; » et ex celebriorum criticorum sententiis, in-

ter quos numerantur Bollandistæ, ad 25 martii, § 4, *Natalis Alexander*, Hist. Eccl. decimo tertio sæculo, *Theophilus Reynaudus*, Baillet, P. *Honoratus a Sancta Maria*, *Gravesonus*, *Guido Grandus*, abbas Camaldulensis, D. *Calmet*, *Muratorius*, etc.; — probat, inquam, domum natalem beatæ Virginis, divinis mysteriis consecratam, ab infidelium potestate ereptam, in Dalmatiam prius, deinde in agrum Lauretanum, Picenæ provinciæ, in ditionibus ecclesiasticis, translata fuisse ministerio Angelorum, sedente S. Celestino V, vel sub Bonifacio VIII, versus annum 1294. Refert Clementem VII tres misisse viros qui magnitudines et mensuras domus Lauretanæ cum mensuris locorum in quibus ante fuisset conferrent, eosque, loco Dalmatiæ et fundamentis domus Nazareth visitatis, reperiisse mensuras cum magnitudinibus domus Lauretanæ collatas optime sibi esse concordantes. Certum est domum Lauretanam in universo orbe catholico celebrem esse, multo populi concursu frequentari, et innumeris illustratam fuisse miraculis.

His omnibus permotus Innocentius XII, ut cultus fidelium erga beatissimam Virginem magis excitaretur, permisit ut dies anniversaria translationis sanctæ domus ejus cum officio et Missa solemniter, die 10 decembris, celebraretur in tota Piceni provinciæ. Officium istud, cum propria Missa, in Piceno limitatum, die 9 maii 1719, ad omnem Etruriam propagatum est; deinde a Bened. XIII ad omnes ditionis ecclesiasticæ provincias, et tandem ad cunctas regiones Hispaniarum regi subjectas, ex decretis 23 augusti 1722 et 10 novembris 1729.

19° *Festum Expectationis partus B. Mariæ*, die 18 decembris. Sciendum est festum Annuntiationis olim in Hispania celebratum esse die 18 decembris, ex decreto Conc. Toletani in septimo sæculo celebrati, *Labbe*, t. vi, eo quod 25 martii semper in Quadragesima vel in Paschate incidat. Attamen, sequentibus temporibus, Hispaniarum Ecclesiæ ad constantem Ecclesiæ Romanæ usum Annuntiationem die 25 martii celebrandi devenerunt; sed huic solemnitati alteram substituerunt, die 18 de-

cembris, sub titulo Expectationis partus B. Mariæ, quam Gregorius XIII anno 1573 approbavit. Hæc festivitas appellatur etiam beatæ Mariæ de O, cujus nominis origo ducta est ab antiphonis per O incipientibus, suspiria, gemitus et desiderium veterum Patrum adventum Redemptoris advocantium exprimentibus, quia prima harum antiphonarum in primis hujusmodi festi Vesperis dicitur.

Officium hujus festi cœpit recitari in regionibus reipublicæ Venetorum subjectis, ex indulto S. Cong. Rit. diei 3 septembris 1695, et ad omnia ditionis ecclesiasticæ loca extensum est decreto Bened. XIII, diei 22 augusti 1725.

20° *Festum B. Mariæ in sabbato*. Constat vetustum esse pium morem exhibendi in sabbato B. Mariæ Virgini peculiarem quemdam cultum, et Missas in ejus honorem hac eadem die celebrandi. B. *Petrus Damianus*, anno 1073 vita functus, dicit in Opusc. 33, cap. 3 et 4, pium inolevisse morem ut per omne sabbatum Missarum officia in honorem B. Mariæ celebrarentur, nisi forte festivitas aut feria Quadragesimalis obsisteret. Cardinalis *Bona*, in Tractatu de divina Psalmodia, cap. 12, § 2, contendit officium B. Mariæ in sabbato trecentis annis ante B. Petrum Damianum in Ecclesia tam Græca quam Latina recitari consuevisse. Urbanus II, in concilio Claramontano, anno 1095, statuit « ut Horæ B. Mariæ dice- » rentur quotidie officiumque ejus diebus sabbati fie- » ret. » Micrologus de ecclesiasticis observationibus, in undecimo sæculo scriptus, cap. 60, dicit: « Et sabbato » de sancta Maria pene usquequaque servatur, non tam » ex auctoritate quam ex devotione. » Bibl. Pat., t. xviii.

Postea duplex nata est obligatio relative ad regulares et ecclesiasticos in sacris constitutos: una recitandi quotidie cum officio divino, parvum B. Mariæ officium; et altera, in ejus honorem celebrandi sabbatum. S. Pius V, quando vetus Breviarium ex mandato concilii Trid. emendavit, obligationem sustulit recitandi extra chorum officium parvum B. Mariæ, officiumque componi jussit de B. Maria in sabbato, ad quod omnes tenerentur.

§ III. — De præcipuis festis Sanctorum.

Inter sanctos religioso cultu in Ecclesia honoratos, sunt Angeli, Sancti Veteris Testamenti et Sancti Novi Testamenti.

De Angelis.

Ex Scriptura sacra, traditione et Ecclesiæ interpretatione, constat multos esse Angelos beatos, qui propterea cultu religioso honorari possunt, sine ullo dubio. Novem numerantur Angelorum ordines in triplici hierarchia distributi, scilicet Seraphim, Cherubim et Throni, Dominationes, Virtutes et Potestates, Principatus, Archangeli et Angeli.

Tres tantum, ex Scriptura, nominatim designantur angeli, nempe Michael, Gabriel et Raphael. Quatuor alia nomina, *Uriel, Salathiel, Jehudiel, Barachiel*, a Judæis accepta, nulla fide digna traditione nituntur, et in Ecclesia non admittuntur. Imo concilium Laodicenum, in Capitularibus Caroli Magni, apud Baluzium, stricte prohibuit ne ignota Angelorum nomina fingerentur aut nominarentur, præter Michaellem, Gabrielem et Raphaellem; et in concilio Romano, sub Zacharia papa anno 745 celebrato, expresse dicitur nomina angelorum, Michaelle, Gabriele et Raphaelle exceptis, non esse Angelorum, sed demoniorum.

His positis, plura notanda sunt ex praxi Ecclesiæ licita et consueta, nempe: 1° ut corporeos pingere licet Angelos, licet incorporeos, quia sub figura hominis apparuerunt justis. 2° Michael, Gabriel, Raphael, omnes Angeli et Archangeli, omnes sancti beatorum spirituum ordines publice et universaliter invocantur in Litaniis: item incensum, ad offertorium, *per intercessionem beati Michaelis archangeli, stantis a dextris altaris incensi*, benedicitur. 3° Dedicantur ecclesiæ et capellæ in honorem, aut omnium Angelorum, aut singulorum, S. Michaelis, S. Gabrielis, vel S. Raphaelis; aut in honorem Angelo-

rum Custodum, vel insignis apparitionis alicujus Angeli, v. g., S. Michaelis in monte Gargano, in Italia, anno 356, juxta Baronium, vel notabilis beneficii ministerio ejus obtenti. 4° Ecclesiæ pariter dedicari possunt Angelis Custodibus in genere, non vero Angelo Custodi talis hominis, quia eo moriente, Ecclesia non haberet patronum nec titulum. 5° Ecclesiæ non dedicantur Deo in honorem omnium Cherubim, Seraphim aliorumve Angelorum ordinum, *cum hoc non sit usu receptum*, inquit *Bened. XIV*, de Canoniz., l. 4, part. 2, cap. 30, n. 10. 6° In universali Ecclesiæ officium celebratur, die 8 maii, in commemorationem apparitionis S. Michaelis in monte Gargano, et die 29 septembris, pro dedicatione templi in eo monte constructi; die 2 octobris celebratur officium Angelorum Custodum, quod, petente Ferdinando imperatore, concessum est a Paulo V, et deinde a Clemente X, decreto 13 septemb. 1670, positum est in præcepto pro universali Ecclesia. 7° In regionibus Hispaniæ subjectis et in pluribus ordinibus religiosis, ex variis summorum Pontificum decretis, recitatur officium S. Gabrielis, octavo die ante vel octavo die post Incarnationem, id est 18 martii vel 1 aprilis, et officium S. Raphaelis die 2 maii. Cum enim sanctitas eorum constet Scriptura et ex praxi Ecclesiæ eorum nomina publice invocantis, laudabile est ut in eorumdem honorem templa Deo dicentur et officia celebrentur. 8° Sixtus V concessit, die 5 februarii 1590, ut in regno Portugaliæ et in cunctis regionibus ei subjectis recitaretur officium in honorem Angeli Custodis ejusdem regni: communis enim est theologorum sententia singula regna, provincias, civitates, dioceses, ecclesias, etc., suos habere Custodes Angelos: licet ergo eos speciali cultu honorare et nihil vetat quominus summi Pontifices publicum officium in illorum honorem fieri permittant.

Unusquisque proprium Angelum Custodem cultu personali honorare potest, imo eum singulari devotione semper prosequi debet, ut sanctum, Dei visione gaudentem, suum comitem, amicum, protectorem, etc.: certum est enim et etiam de fide, juxta multos, omnes christianos

habere Angelum Custodem. Non ita constat, quamvis communis opinio id teneat, infideles suos etiam habere Custodes Angelos qui salutem eorum procurare intendant, eosque non deserant nisi momento quo illorum damnatio consummatur.

Plures etiam contendunt principem dæmoniorum, Deum imitari volentem, speciales deputavisse diabolos, qui singulos homines tentarent, et ad malum, quantum possent, inducere quærent. Hæc sententia nullo innixa est fundamento ex Scriptura aut traditione clare deducto; id unum habemus certum, multos existere angelos malos, nos circumstantes et ad malum inclinantes, a quibus præcavere et abhorreere debemus.

De Sanctis Veteris Testamenti.

Controversia movetur inter theologos an viri sancti Veteris Testamenti canonizari possint. *Bened. XIV* advertit, de Canoniz. Sanct., l. 1, cap. 14, n. 2, hanc controversiam esse inutilem, quia sancti Veteris Testamenti ii sunt qui ante Christum viventes, in ipsum ut mediatorem et Redemptorem credentes, virtutibus aut martyrio illustres Deo placuerunt, et quos Deus sanctos esse in divinis Scripturis manifestavit; in eo autem casu absona esset summi Pontificis sententia qua definiretur eos esse sanctos et in universali Ecclesia colendos. Verum summi est Pontificis decernere an cultus et qualis cultus publicus eis præstandus sit.

Notandum est omnes sanctos ante Christum defunctos ad Vetus Testamentum non pertinere; *Bened. XIV* enim cum pluribus aliis, l. 4, part. 2, cap. 29, n. 2, ostendit S. Joannem Baptistam, S. Joseph, Innocentes ab Herode occisos, Zachariam, Elisabeth, Simeonem senem, Annam prophetissam, Joachim et Annam ad Novum Testamentum pertinere, quia ab Evangelistis laudati sunt, aut Christum viderunt, aut ipsum propinquitate seu carnis affinitate proxime attigerunt.

Nemo inter catholicos dubitat quin summus Pontifex

eundem cultum hujusmodi Sanctis ac iis qui post mortem Christi obierunt decernere valeat. Potest similiter permittere cultum, instituere festa cum officio et Missa, in honorem aliorum Sanctorum ad Vetus Testamentum certo pertinentium, et quorum sanctitas constat. Id sequitur ex natura rei et ex praxi Ecclesiæ: apud Græcos enim honorantur ut sancti Abraham, Loth qui, licet in vino turpiter egerit, laudatur a B. Petro, II Epist. II, 7, ut justus, quia aut non peccavit, aut penitentiam egit; tres pueri fornacis, Ananias, Azarias et Misael; propheta Isaias, Jeremias, Daniel, Amos, Abdias, Jonas, etc. Apud Latinos ex Sanctæ Sedis concessione, honorantur in aliquibus locis plures Sancti Veteris Testamenti, officia, Missæ, templa, altaria eis dedicantur, v. g., Eliæ, præsertim apud Carmelitas: Abraham et Job, apud patres congregationis Oratorii Domini Jesu.

Existit difficultas circa cultum Enoch et Eliæ exhibitum; quia, ut *Bened. XIV* probat, l. 1, cap. 14, cultus religiosus decerni non potest hominibus adhuc viventibus, quatenus habeantur ut sancti, et duo illi patriarchæ non mortui sunt, sed translati fuerunt, ut patet ex IV Reg. II pro Elia, et Epist. ad Hebræos, XI, 5, pro Enoch. Verum illustris Pontifex respondet Ecclesiam non celebrare festum Eliæ ut beati, sed ut divinitus rapti, et aliunde dici posse ambos in gratia et perseverantia esse confirmatos; in hac autem hypothesis evanescit difficultas.

De Sanctis Novi Testamenti.

De iis solum pauca dicemus quorum publicum nunc fit officium in ecclesia Gallicana.

1^o S. Marcus, die 25 aprilis. Erat Evangelista, B. Petri discipulus, et Alexandrinus Episcopus. Die 25 aprilis, anno 68, post multa tormenta, occubuit martyr pro Christo. Reliquiæ ejus diu religiose asservatæ sunt Alexandria, unde translatae sunt, ut fertur, versus annum 815 Venetiam, et ideo Venetiarum respublica hunc Sanctum elegit pro patrono.

1. Hac die fit processio et magna cantatur Litania seu supplicatio a S. Gregorio Magno instituta pro obtinenda pestis cessatione : in septimo sæculo jam affixa erat diei 25 aprilis ; Concilium Aquisgranense, anno 836 celebratum, et Capitularia Caroli Calvi illam eodem die faciendam in Gallia præscripserunt. Olim in variis locis jejunium erat illo die de præcepto. Nunc, propter tempus paschale, non est obligatio jejunandi, sed tantum a carnis abstinendi, et non ubique, v. g., Romæ.

2. S. Joannes Baptista, die 24 junii. S. Joannes ministerio archangeli Gabrielis annuntiatus, per miraculum in utero sterilis ex viro sene conceptus, ad præsentiam Domini exsultavit, sanctificatus fuit, et inter mirabilia natus est ; vitam cœlestem duxit, pœnitentiam prædicavit, Christum annuntiavit, indigitavit, baptizavit et magnum humilitatis præbuit exemplum ; fortiter obstitit Herodi in commercio incestuoso viventi, dicens, Marc. xvi, 18 : *Non licet tibi habere uxorem fratris tui* ; propterea in carcerem missus, petente Herodiade, fuit decollatus, et meruit ut Christus de illo diceret, Matth. xi, 11 : *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista.*

3. Dies ejus Decollationis est celebris ; sed præcipua ejus solemnitas fit die ipsius Nativitatis, et antiquissima est in Ecclesia : S. Aug. septem habet sermones pro illa solemnitate, quam supponit jam esse antiquam et universalem ; hæc habet Serm. 290, 4, in Natali Joannis Baptistæ : « Quia in magno sacramento natus est Joannes, » ipsius solius justi natalem diem celebrat Ecclesia. Et » natalis Domini celebratur, sed tanquam Domini. Date » mihi alium servum, præter Joannem, inter Patriarchas, inter Prophetas, inter Apostolos, cujus natalem » diem celebret Ecclesia Christi. Passionum diem servis » plurimis celebramus ; nativitatis diem, nemini nisi » Joanni. »

3. SS. Petrus et Paulus, die 29 junii. Petrus, ex piscatore factus discipulus Christi, Apostolus et princeps ac caput Apostolorum, sedem prius habuit Antiochiæ, deinde

Romæ, ubi eam per viginti quinque annos tenuit, juxta Eusebium, S. Hieron., et Calendarium Romanum a Bucherio editum. In carcerem Mamertinum sub Nerone conjectus cum B. Paulo, ibi manserunt octo mensibus, ut fertur ; Processum et Martinianum, custodes, et quadraginta septem alias utriusque sexus personas ad fidem adduxerunt ; postea damnati, Petrus ad crucem ut Judæus, et Paulus ad capitis amputationem ut civis Romanus, mortem die 29 junii subierunt extra muros civitatis. Petrus humilitatis causa petiit et obtinuit ut capite deorsum posito crucifigeretur. Corpora utriusque Apostoli religiosissime servantur Romæ, unum in Basilica Vaticana S. Petri, et alterum in basilica S. Pauli, juxta viam Ostiæ, a Constantino Magno constructa et anno 1823 infauste igne incensa, nunc autem cum mira magnificentia restaurata. Eorum capita in figuris argenteis inclusa in basilica Lateranensi custodiuntur. Sanctæ ac pretiosæ illæ reliquiæ a peregrinantibus totius orbis catholici visitantur.

Percelebris semper fuit Romæ memoria Petri : *Ostendatur mihi Romæ*, inquit S. Aug. Enarrat. in Psal. XLIV, *in honore tanto templum Romuli, in quanto ibi ostendo memoriam Petri.* Idem S. Doctor plures habet sermones in Natali Petri et Pauli. Tertium ex his sermonibus sic incipit : *Hodiernum nobis diem festum fecit sanguis Apostolorum.* Hinc sequitur hanc festivitatem utriusque Apostolorum esse perantiquam et summa veneratione nostra dignam.

4. Festum Omnium Sanctorum, die 1 nov. Imperator Honorius prohibuerat ne Christiani templa idolorum everterent, volens ea conservare tanquam artium monumenta : Bonifacius IV, videns celebre Pantheon a Marco Agrippa sub imperio Augusti exstructum adhuc exstare, illud mundare et reparare statuit ; solemniter illud, anno 607, B. Mariæ et omnibus martyribus ac confessoribus dedicavit, illucque transferri jussit plus quam viginti et octo plaustra ossium sanctorum martyrum, quæ divisa in variis Romæ cœmeteriis jacebant. Unde hæc

ecclesia dicta est Sancta Maria Rotunda, ob ipsius formam, et etiam Sancta Maria ad Martyres.

Tale fuit exordium solemnitatis Omnium Sanctorum, quæ celebrabatur Romæ die 13 maii, die anniversaria prædictæ dedicationis : Gregorius III eam ad Ecclesiam universalem propagavit, et Gregorius IV diem 13 maii in 1^{am} nov. mutavit, eo quod abundantior esset annona in mense nov. quam in mense maio ; tunc enim innumeri advenæ confluebant Romam ut solemnitati assisterent. Hic ultimus Pontifex, cum venisset in Galliam anno 837, regnante Ludovico Pio, festivitatem Omnium Sanctorum secum introduxit, quæ brevi fuit adoptata et facta est universalis in Galliis sicut in aliis regionibus.

5^o *Commemoratio fidelium Defunctorum*, die 2^a nov. Consuetudo orandi pro defunctis venit a traditione Apostolica ; et fundamentum habet in praxi totius Ecclesiæ, in decretis Conciliorum et in sacris paginis, tum Novi, tum Veteris Testamenti, ut alibi probavimus : nulla autem erat dies specialiter destinata ad orandum pro omnibus fidelibus defunctis. S. Odilo, abbas Cluniacensis, anno 1048 mortuus, statuit ut in cunctis monasteriis sibi subjectis, sicut die 1^a nov. omnes coluntur Sancti, ita 2^a die pro omnibus oraretur defunctis : quidam putant eum exemplar hujus generalis commemorationis omnium defunctorum ab Amalario, ducentos annos ante ipsum vivente, accepisse, monasteriis suis præcepisse, et, eo suggerente, Joannem papam XIX hanc praxim ubique servari mandavisse. Joannes autem XIX, anno 1024 electus, anno 1033 mortuus est.

6^o *S. Stephanus protomartyr*, die 26 decembris. Unus fuit e septem primis diaconis ; *plenus erat gratia et fortitudine, et faciebat prodigia et signa magna in populo*, Act. VI, 8 : quidam de Judæis surrexerunt, *disputantes cum Stephano, et non poterant resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur*, ibid. Adhibitis falsis testibus, eum accusarunt blasphemiam adversus Moysen et Deum : ille autem mirabili sermone, in cap. VII Actuum relato, iudicibus suis locutus est ; Judæi eum audientes ipsi ex-

probrantem quod legem Dei non custodirent, *dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum*. Ille vero cœlesti visione donatus, ait : *Ecce video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei*. Tunc Judæi exclamaverunt eum blasphemare ; sententia non exspectata, traxerunt eum tanquam blasphemum extra civitatem, et lapidaverunt illum Deum invocantem et pro lapidantibus orantem.

Passus est ergo et obiit, juxta Chronica cum Operibus *Eusebii* a Scaligero publicata, die 26 decembris ejusdem anni quo Christus fuit crucifixus. Cultus ejus semper fuit celebris : *S. Aug.*, a sermone 314 ad 325 de illo mirifice loquitur, de ejus natali, de ejus solemnitate, de mirabili corporis ejus inventione, de reliquiarum translatione, de manifestis miraculis intercessione ejus patris, etc.

7^o *Dedicatio Ecclesiarum*, dominica post octavam Omnium Sanctorum. In Veteri Testamento triplex sollemnis describitur templi Jerusalem dedicatio, una sub Salomone, secunda post captivitatem Babylonicam sub Esdra, et tertia sub Juda Machabæo, qui post impietates Antiochi, templum et altare purificari ac de novo dedicari voluit. Dies anniversaria harum dedicationum sollemnis erat, et per dies octo celebrabatur. Sub nova Lege, ubi defebuit persecutio, ingentes ceperunt edificari ecclesiæ quæ sollemni ritu dedicabantur, ut in toto historiae ecclesiasticæ decursu legitur : anniversarium hujusmodi dedicationum erat ubique festum sollemne, et, cum variæ ecclesiæ diversis temporibus fuerant dedicate, contigerat ut anniversaria eodem die non celebrarentur, ideoque card. Caprara, mandante Pio VII, statuit, « ut anniversarium dedicationis templorum quæ in Gallicanæ reipublicæ territorio erecta sunt, in dominica quæ octavam festivitatis Omnium Sanctorum proxime sequitur, in cunctis Gallicanis ecclesiis celebratur. » Indult. diei 8 aprilis 1802. Hinc omnes, sive privatim in officio, sive publice, hanc festivitatem eodem die et eodem ritu celebrant, sive propria ecclesia fuerit consecrata, sive fuerit tantum